

Tunc responderunt ei, quidam scribarum et phariseorum dicentes. Magister uolumus a te signum uidere. Ipse autem respondens dixit. Generatio pernitiosa et adultera, signum inquirit, et signum non dabitur ei, nisi signum ionae.

Commented [ND1]: [fol.145rb]

Ergo quid fiet his amentius, non magis impium solum? qui post tot signa quasi nullo facto, dicunt uolumus a te signum uidere. Cur igitur hoc dixerunt? ut capiant rursus, quia enim a uerbis eos oppilauit, et semel et bis et multotiens, et inuerecundam eorum obstruxit linguam, ad opera rursus ueniunt. Quod et ammirans rursus euangelista dixit. Tunc responderunt ei quidam scribarum signum petentes. Tunc quando? cum flectere oportebat, cum ammirari, cum obstupescere et secedere, tunc a nequitia non desistunt. Vide autem et uerba et adulatione et ironia plena sunt. Putabant enim allicere per haec. Et nunc quidem conuitiantur, nunc autem adulantur, nunc quidem demoniacum uocantes, nunc autem magistrum. Vtraque a pernitioso consilio, etsi contraria sunt quae dicebantur. Propter hoc eos et uehementer tangit, et cum quidem eum aspere interrogabant et conuitiabantur, mansuete eis respondebat. Cum autem adulabantur conuitiose, et cum multa uehementia, monstrans quoniam alterutra passione est superior, et neque tunc in iram educitur, neque nunc ab adulatione mollitur. Vide autem et conuitium, non simpliciter contumeliam existens, sed demonstrationem habens nequitiae eorum. Quid enim ait? generatio pernitiosa et adultera signum inquirit. Quod autem dicit tale est, quid mirum si in me haec factis, qui interim ignotus sum a uobis, cum et in patre cuius tantam accepistis experientiam, hoc idem fecistis? Derelinquentes eum ad demones currebatis, amatores allicientes pernitiosos, quod continue eis iezechiel exprobrabat. Haec autem dixit, monstrans seipsum patri consonantem. Et hos nichil extraneum facientes, et ineffabilia eorum reuelans. Et quoniam cum hypocrisi, et ut inimici petebant. Propter hoc eos dixit generationem pernitiosam, quoniam ingrati semper facti sunt circa benefactores, quoniam bona patientes fiunt deteriores, quod ultimae est pernitiei. Adulteram autem uocauit, et priorem et presentem infidelitatem ostendens. Vnde et monstrat seipsum rursus patri equalem, si tamen et non credere ei, adulteram facit. Deinde conuitians, quid ait? et signum non dabitur ei nisi signum ionae prophetae. Iam sermonem de resurrectione presignat, et credi eum facit a typo. Quid igitur datum est ei petenti? Non enim ut eos induceret, faciebat signa. Sciebat enim lapideos esse, sed ut alios corrigat, aut hoc igitur est dicere, aut quoniam tale non accipient signum, quale est illud. Signum enim eis factum est, quando per propriam penam, cognouerunt eius uirtutem. Hic ergo minans dicit, et hoc ipsum enigmatice insinuans, acsi diceret, decemmilibus beneficia demonstraui, nichil horum uos allexit, neque uoluistis adorare meam uirtutem. Cognoscetis utique per contraria uirtutem meam, quando ciuitatem in terram proiectam uidebitis, quando et muros circum destructos, quando templum ruina euersum, cum et urbanitate et libertate priori cecideritis, et errantes et fugaces ubique circuieritis. Omnia enim haec post crucem facta sunt. Haec igitur uobis pro signis magnis erunt. Etenim ualde magnum signum est, immobilia manere eorum mala, decemmilibus temptantibus nullum potuisse corrigere uindictam semel aduersus eos delatam, sed haec quidem non dicit. Relinquit autem in posteriori tempore fieri eis manifesta. Interim autem sermonem de resurrectione exercitatur, quem cognituri erant per ea quae postea passuri erant. Sicut enim fuit

Commented [ND2]: [fol.145va]

Commented [ND3]: uel mente add. super lin.

Commented [ND4]: occulta add. super lin.

Commented [ND5]: fientem add. super lin.

Commented [ND6]: signum add. super lin.

Commented [ND7]: generationi non add. super lin.

Commented [ND8]: [fol.145vb]

ionas ait in uentre coeti, tribus diebus et tribus noctibus ita erit et filius hominis in corde terrae, tribus diebus et tribus noctibus. Manifeste enim non dixit, quoniam resurget quia profecto derisissent. Enigmatice autem insinuauit ita, ut et illi crederent quoniam presciuit, quoniam eum nouerunt, dicunt ad pilatum. Dixit inquit erroneus ille, post tres dies resurgam. Quamuis discipuli eius hoc ignorabant. Etenim insipientiores eis, antea erant. Ideoque sponte detenti fuerunt hii. Vide autem qualiter et enigmatice insinuans diligenter, id posuit. Non enim dixit in terra, sed in corde terrae, ut et sepulchrum ostendat, et nullus existimationem suspicetur. Sed et tres dies propter hoc concessit, ut credatur, quoniam mortuus est. Non enim cruce id solum certificat, et omnium uisu, sed et tempore dierum. Resurrectioni enim omne posterius tempus erat testaturum. Crux autem nisi tunc multa habuisset testantia ei signa, profecto non credita esset. Hac autem non credita, et resurrectio utique non credita esset. Propter hoc et signum id uocat. Si autem non crucifixus est, non utique datum esset hoc signum. Propter hoc et typum fert in medium, ut credatur ueritas. Dic enim michi erat ionas in uentre coeti? sed non utique haberes hoc dicere. Quocirca neque christus fuit in corde terrae. Non enim utique typus quidem in ueritate. Veritas autem in imaginatione. Propter hoc ubique mortem eius annuntiamus, et in mysteriis, et in baptisate, et in aliis uniuersis. Propter hoc et paulus clara uoce clamat. Michi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri ihesu christi. Vnde manifestum est, quoniam filii diaboli sunt, qui his quae marchionis sunt egrotant haec delentes, quae ut non destruantur decemmillia fecit christus, et ut deleantur decemmillies studuit diabolus, crucem dico et passionem. Propter hoc dixit, et alio soluite templum hoc, et in tribus diebus erigam id. Et erunt dies, cum auferetur ab eis sponsus. Et hic non dabitur ei signum, nisi signum ionae prophetae. Et quoniam pro eis patietur ostendens, et nichil lucrabuntur. Hoc enim postea ostendit, sed tamen et haec sciens mortuus est, tanta erat eius procuratio. Vt enim ne estimates, quoniam et quae deinceps sunt, talia erunt in iudeis, qualia minime uitis et conuertentur, et quemadmodum illis concussam ciuitatem stabiluuit, et barbaros conuertit, ita et hii post resurrectionem conuertentur, audi qualiter contrarium uniuersum ostendit. Quoniam enim nichil fructificabunt hinc in proprium beneficium, sed et intolerabilia patientur, et hoc deinceps ostendit, per exemplum quod est secundum demonem. Interim autem pro his quae postea passuri erant, excusando respondet, monstrans quoniam iuste patientur. Calamitates enim eorum et desolationem ab exemplo illo representat. Interim autem monstrat quoniam iuste haec omnia sustinent. Quod et in ueteri testamento faciebat. Etenim sodomam destructurus excusando respondit abrahamae, prius desolationem ostendens et raritatem uirtutis, cum neque decem inuenti essent uiri in ciuitatibus tantis sobrie uiuere eligentes. Sed et loth similiter ostendens odium alienigenarum, et inconuenientes eorum amores, tunc inducit ignem. Sed et in diluuiio hoc idem fecit, per opera excusando respondens noe. Sed et iezechieli similiter quando in babylonia conuersantem, quae in iherosolimis erant, uidere fecit mala. Sed et ieremiae rursus quando dixit, ne ores excusando respondens dixit. Aut non uides quid hii faciunt? Et ubique hoc idem facit. Quid enim ait, uiri ninneuite resurgent et condempnabunt generationem hanc quoniam penitentiam egerunt in predicatione ionae. Et ecce plus iona hic. Ipse enim seruus, ego autem dominus, et ipse quidem ex coeto exiuit, ego autem ex morte resurrexi. Et ipse quidem euersionem predicauit, ego autem regnum ueni euangelizans. Et ipsi quidem sine signo crediderunt, ego autem multa signa ostendi, et hii quidem nichil amplius quam uerba illa audierunt, ego autem omnem moui philosophiae speciem, et ipse quidem ministrans aduenit, ego autem ipse dominator et omnium dominus ueni, non minans, non expetens noxias, sed remissionem afferens, et ipsi quidem barbari, hii autem cum prophetis nutriti sunt decemmillibus. Et de illo quidem nullus predixit, de me autem omnes, et opera mea sermonibus conueniebant, et ille enim fugit abiturus, ut non derideretur, ego autem sciens

Commented [ND9]: ab infidelitate *add. super lin.*

Commented [ND10]: uel uisionem *add. super lin.*

Commented [ND11]: uel spatio *add. super lin.*

Commented [ND12]: [fol.146ra]

Commented [ND13]: imaginatione *add. super lin.*

Commented [ND14]: est *add. super lin.*

Commented [ND15]: est *add. super lin.*

Commented [ND16]: uel affectio *add. super lin.*

Commented [ND17]: penuriam *add. super lin.*

Commented [ND18]: [fol.146rb]

Commented [ND19]: morantem *add. super lin.*

quoniam et crucifigendus et deridendus eram, adueni. Et ille quidem neque exprobrari tulit pro his qui saluabantur, ego autem et mortem sustinui et mortem turpissimam. Et postea rursus alios mitto, et ipse quidem aduena quidam erat et alienus et ignotus, ego autem cognatus secundum carnem, et ab eisdem progenitoribus. Sed et multa alia utique aliquis congregaret, hanc dictionem plus exquirens, ipse autem neque hic stat, sed et alius adiungit, adnuntiationem dicens. Quoniam et regina austri **surget** in iudicio cum generatione hac, et condempnabit eos, quoniam uenit a finibus terrae audire sapientiam salomonis, et ecce plus salomone hic. **Hoc** priore plus fuit. Ionas enim ad illos abiuit. Regina autem austri non expectauit salomonem ad ipsam ire, sed ipsa ad eum accessit, et mulier, et barbara existens, et tantum absistens, non minis imminentibus, non mortem formidans, sed cupidine uerborum solum sapientum, sed ecce et plus salomone hic. Illuc enim mulier aduenit, huc autem ego ueni, et ipsa quidem a finibus terrae surrexit, ego autem et ciuitates et castella circumeo, et ille quidem de arboribus et lignis disputauit, quae nichil magnum **expedire** ei quae aduenerat poterant, ego autem pro ineffabilibus rebus et misteriis terribilibus. Quia igitur eos condempnauit, monstrans ex multa superhabundantia non ignoscibilia peccantes, et suae ingratitude non magistri imbecillitatis in oboedientiam existentem, et hoc et ab aliis multis et a nineuitis et regina demonstrauit, tunc dicit, et assumpturam eos penam, enigmatice quidem dicit autem tamen multum timorem subtexens enarrationi. Cum enim ait exierit immundus spiritus ab homine, uadit per in aquosa loca, querens requiem et non inueniens, dicit. Reuertar in domum meam unde exiui, et ueniens inuenit uacantem scopis mundatam et ornatam, tunc uadit et assumit secum alios septem spiritus pernitiosiores seipso, et ingressi habitant illic et fiunt ultima hominis illius deteriora prioribus, ita erit et generationi huic. Hinc ostendit, quoniam non in futuro seculo, sed et hic difficillima patientur. Quia enim dixit uiri ninneuitae resurgent in iudicio, et condempnabunt generationem hanc, ut non propter temporis tardationem contempnant, et pigriores efficiantur, hinc statuit super eos mala. Quod et propheta osee eis minans dixit. Quoniam erunt uelut propheta, inextasi existens homo spiritum ferens. Hoc est uelut insani, et **bachati** a pernitiosis spiritibus pseudoprophetae. Prophetam enim hic inextasi existentem, pseudopropheta ait. Quale quid sunt in diuinatores. Hoc utique et christus ostendens ait, quoniam ultima patientur. Vides qualiter undique eos impellit ad attendendum ea quae dicuntur, a presentibus, a futuris, ab approbatis, a ninneuitis dico, et regina ab offendentibus tyriis et sodomitis. Quod et prophetae faciebant filios richabin **afferentes**, et sponsam quae non obliuiscitur ornatus proprii, et **pectoris ligaturae**. Et bouem qui nouit eum qui possedit, et asinum qui presepe regnoscit. Ita utique et hic a comparatione representans eorum ingratitude dicit iam et penam. Quid igitur est, quod dictum est, quemadmodum demoniaci ait, cum eruti fuerint ab infirmitate illa, si desidiores efficiuntur, difficilliores attrahunt aduersus seipsos **fantasiam**, ita et in uobis fit. Etenim antea detinebamini a demone quando idola adorabatis, et filios uestros occidebatis demonibus, multam ostendentes insaniam, sed tamen non dereliqui uos, sed expuli demonem illum per prophetas, et per memet ipsum rursus ueni amplius expurgare uos uolens. Quia igitur non uultis attendere, sed et in ampliorem excidistis nequitiam, etenim et eum occidere, multo magis et difficilium est quam prophetas interficere. Propter hoc difficiliora patiebamini prioribus, quae secundum babyloniam fuerunt dico, et secundum aegyptum, et secundum antiochum primum. Quae enim in uespasiano et titi contingerunt eis, multo magis difficiliora fuerunt. Ideoque dixit, erit tribulatio magna, qualis numquam facta est, neque erit, non hoc autem solum ostendit hoc exemplum, sed quoniam et a uirtute omni erunt desolati uniuersaliter, et demonum actibus facile occupabiles magis erunt quam tunc. Tunc enim etsi peccabant, sed tamen erant, et qui corripiebant in eis, et aderat dei prouidentia, et spiritus gratia eorum diligentiam agens corrigens, uniuersa quae a seipsa erant,

Commented [ND20]: [fol.146va]

Commented [ND21]: istud *add. super lin.*

Commented [ND22]: prodesse *add. super lin.*

Commented [ND23]: [fol.146vb]

Commented [ND24]: adducetes *add. super lin.*

Commented [ND25]: uel monili *add. super lin.*

Commented [ND26]: uel imaginationem *add. super lin.*

complens. Nunc autem et ab hac procuracione ait, uniuersaliter desolabuntur, quare et uirtutis amplior raritas nunc, et calamitatis intensio, et demonum operatio maiorem habens tyrannidem. Noscitis ergo et in generatione nostra, quando qui omnes in impietatem uicit iulianus, bachatus est, qualiter cum grecis seippos ordinabant, qualiter quae illorum erant curabant. Quare etsi parum quid uideantur sobrie agere nunc, propter regum timorem quiescunt. Quia si non hoc esset, multo difficiliora prioribus facere utique ausi essent. In aliis enim pernitiosis operibus uincunt eos, qui antea fuerunt. Incantationes, machinationes, impudicitias cum multa demonstrantes superhabundantia. Sed et in aliis quamuis tanto freno detenti, multotiens altercati sunt, et aduersus reges insurrexerunt, ut et circa ultima assisterunt mala.

Commented [ND27]: [fol.147ra]

Commented [ND28]: uel penuria *add. super lin.*

Commented [ND29]: gentilibus *add. super lin.*

Commented [ND30]: statuebant *add. super lin.*

Vbi nunc sunt, qui signa querunt? Audiant quoniam consilio opus est non ingrato. Etsi hoc non affuerit, signorum nulla est utilitas. Ecce denique ninneuitae quidem, sine signis crediderunt, hii autem post tanta miracula deteriores facti sunt, et demonum infinitorum habitaculum, seippos constituerunt, et decemille sibi calamitates attraxerunt et ualde decenter. Cum enim semel aliquis liberatus a malis non sobrius efficietur, multo difficiliora patietur prioribus. Propter hoc enim dixit, quoniam non inuenit requiem, ut ostendat quoniam omnino et ex necessitate, capient hunc talem demonum insidiae. Etenim ad uobis his sobrios esse oportebat, et a patiando prius, et ab eo quod eruti sunt. Magis autem et tercius ad est id est minae patiendi deteriora, sed tamen nullo horum facti sunt meliores, haec non ad illos solum, sed et ad nos dicta esse, tempus utique haberet, cum illuminati et a prioribus eruti malis, rursus ab eadem possideamur nequitia. Etenim difficilior iam erit poena, posteriorum peccatorum. Propter hoc et paralitico christus dixit, uide sanus factus es non ultra pecca, ut non deterius aliquid tibi efficiatur. Et haec ad hominem triginta et octo annos habentem in infirmitate. Et quid deterius his erat passurus ait? multo deterius et difficilius. Ne enim fiat hoc sustinere quanta possumus pati. Neque enim aporiatur in dando penas deus. Secundum enim multam misericordiam eius, ita et ira eius. In hoc et ierusalem incusat per iezechiel. Vidi enim te ait, in massam redactam sanguine et ablui et unxi, et factum est tibi nomen in pulcritudine tua, et fornicata es ait in eism qui fluxum sanguinis tibi intulerunt. Ideoque difficiliora minatur tibi peccanti. Hinc autem non penam excogita solum, sed et infinitam dei longanimitatem. Quotiescumque denique eadem tetigimus mala, et adhuc longanimis perseuerat, sed ne confidamus, sed timeamus. Etenim pharao si in prima plaga eruditus fuisset, non utique accepisset experientiam posteriorum, non utique postea simul cum ipso exercitu, summersus esset. Haec dico, quia multos noui secundum pharaonem, et nunc dicentes, non noui deum, et luto et lateribus affigentes sibi obnoxios. Quanti deo iubente remittere minas, neque laborem sustinent retrahere? Sed non est rubrum mare iam pertransire nunc, sed pelagus est ignis, pelagus non tale neque tantum, sed multo maius et siluestrius ex igne habens procellas, igne extraneo quodam et terribili abyssus est tibi magna flammae cuiusdam difficillimae. Vbique enim ignem circumcurrentem est uidere, siluestri cuidam ferae assimilatum. Si enim hic sensibilis iste et materialis ignis, uelut fera prosiliens ex camino, insiluit in eos qui extra sedebant, quid non operabitur ille in eis, qui intus ceciderint? audi de die illa dicentes prophetas. Dies domini incurabilis furore et ira plena. Nullus enim erit qui assistat, nullus qui eripiat, nusquam christi erit facies mansueta et tranquilla. Sed sicut qui metallum operantur, difficilibus quibusdam tradentur hominibus, et nullum propriorum uident, sed eos qui super instant solos, ita utique et tunc, magis autem non ita, sed et multo difficilius. Hic enim possibile est et adire et rogare regem, et soluere condempnatum. Illic autem non adhuc, non enim dimittit, sed manent frixi, tantum dolorem habentes, quantum neque dicere possibile est. Si enim eorum qui hic ardent acerrimos dolores, nullus potest representare sermo, multo magis eorum qui

Commented [ND31]: Morale xliii. Quoniam non oportet aliorum desidiis aspicientes nos, desides effici, et pigritari. Frigida enim erat haec cogitatio. *notum in marg.*

Commented [ND32]: uel mente *add. super lin.*

Commented [ND33]: rationem *add. super lin.*

Commented [ND34]: [fol.147rb]

Commented [ND35]: menstrua *add. super lin.*

Commented [ND36]: [fol.147va]

haec illic patiuntur. Hic enim et in breui temporis spatio totum fit. Illic autem ardet quidem, non consumitur autem quod ardet. Quid igitur faciemus illic, etenim et ad memet ipsam haec dico. Etsi tu ait magister de teipso haec dicis, nulla michi iam cura est. Quid enim mirabile est me puniri? Nequaquam haec dicite deprecor, nullus hanc querat mitigationem. Non enim est haec refrigeratio, dic enim michi. Nonne incorporea uirtus erat diabolus? nonne hominum melior? Sed tamen cecidit, numquid igitur est qui mitigationem accipiet, **si** puniretur cum illo? nequaquam. Quid autem qui in egipto omnes, nonne et eos qui in principatibus erant uidebant punitos, et unamquamque domum luctum habentem? Numquid huic respirauerunt et consolati sunt? Minime, et manifestum ex his quae postea fecerunt, uelut a quadam flamma flagellati, simul instantes regi, et cogentes proicere hebreorum plebem. Etenim ualde frigidus hic sermo estimare mitigationem ferre puniri cum omnibus dicere sicut omnes et ego. Quid enim oportet dicere gehennam? excogita michi eos qui a podagra detinentur. Qui cum ab acro dolore tenduntur, etsi decem mille ostenderis difficiliora patientes, neque in mentem accipiunt. Intensio enim doloris non concedit menti uacationem quandam habere ad excogitandum alios, et mitigationem inuenire. Ne igitur frigida hac spe nutriamur. Suscipere enim mitigationem ex proximi malis, in **conmensuratis** fit passionibus. Cum autem superhabundauerit tormentum, et **fluctuatione** fuerint omnia interiora plena, et neque sibiipsi respicere anima iam habet, unde et fructificabitur mitigationem? Quare derisio omnia uerba haec sunt, et fabulae puerorum insipientium. Hoc enim quod dicis in tristicis contingit, et in tristicia moderata, cum audierimus, quoniam ille idem passus est. Est autem quando, neque in tristicia. Si autem illic nullam uirtutem habet, multo magis in labore et dolore ineffabili, quem stridor dentium monstrat. Et noui quidem grauis existens, et contristans uos per haec uerba, sed quid patiar? Non enim uellem haec dicere. Sed et michi ipsi et omnibus uobis uirtutem inesse cognoscere. Quia autem in peccatis sumus nostrum plures, quis utique dabit michi uere posse contristare uos, et tangere mentem auditorum? et ita tunc requiescerem. Nunc autem **formido** ne quidam contempnant ea quae dicuntur, et maior poena propter contemptum auditionis generetur. Neque enim si dominum quendam minantem conseruorum aliquis audiens contempneret minas, impune transcurreret eum molestatus, sed et hoc occasio ei maioris utique poenae generaretur. Ideoque rogo ut compungamur sermones gehennae audientes. Nichil enim delectabilius est disputatione hac quia re hac nichil amarius. Et qualiter delectabile de gehenna audire est ait? quia triste est in gehennam incidere. Quod uerba quae grauius esse uidentur ammouet, et ante hoc aliam ponit delectationem. Conuertit enim animas nostras, et reuerentiores facit, et sublimat mentem, et erigit intellectum, et pernitiosam concupiscentiarum captiuationem proicit, et medicina nobis hoc fit. Ideo cum **pena**, date michi et uerecundiam dicere. Sicut enim iudeos ninneuitae condempnabant tunc, ita et nos multi condempnabant eorum qui nunc uidentur defectiores. Excogitemus igitur quantus est risus, quanta est diffidentia **excogitemus** et mittamus quoddam principium uel nunc et ostium poenitentiae. Ad meipsum haec dico, primum meipsum amoneo, et nullus irascatur quasi condempnatus. Tangamus illam artam usquequo lasciuiam, usquequo remissio? non impleti sumus pigritantes, deridentes tardantes, non eadem rursus erunt? mensa et saturatio et superabundantia et pecuniae et possessiones et fabricationes, et quis est finis? cinis et puluis et sepulchra et uermes. Ostendamus itaque nouam quandam uitam. Faciamus terram caelum, hinc ostendamus grecis quantis sunt priuati bonis. Cum enim uiderint nos bene conuersantes, uisum ipsum considerabunt regni caelorum. Cum enim uiderint nos mansuetos, ab ira mundos, a concupiscentia pernitiosa, ab emulatione, ab auaritia, et alia omnia dirigentes, dicent si hic angeli facti sunt christiani, quid erunt post abscissionem que hinc est. Si ubi aduenae sunt, ita fulgent, cum patria sua fruentur, quam magni efficientur? ita et illi meliores erunt, et sermo pietatis

Commented [ND37]: uel esse eo quod *add. super lin.*

Commented [ND38]: uel mensuratis, uel moderatis *add. super lin.*

Commented [ND39]: [fol.147vb]

Commented [ND40]: timeo *add. super lin.*

Commented [ND41]: dicta *add. super lin.*

Commented [ND42]: [fol.148ra]

curret, non minus quam in apostolis. Si enim duodecim existentes illi, ciuitates et regiones integras conuerterunt, si omnes efficiemur magistri per diligentiam quae est secundum uitam, excogita ubi quae nostra sunt extollentur? Neque enim ita attrahit grecum, mortuus resuscitatus ut homo philosophans. Ad illud enim ammirabitur, ab hoc autem proficiet. Illud factum est et transiuit. Hoc autem manet, et semper agricultura uegetat eius animam. Diligentes itaque simus circa nosmetipsos, ut et illos luemur. Nichil enim dico honerosum, neque dico ne nugas, non dico derelinque ciuitates, et desiste a ciuilibus negotiis, sed in his existens, monstra uirtutem. Etenim eos qui in mediis ciuitatibus uertuntur, uolo magis approbatos esse, quam eos qui montes assumpserunt. Propter quid? quoniam multa utilitas hinc fit, nullus enim accendit lucernam, et ponit eam sub modio. Propter hoc uolo supra candelabrum ponere lucernas uniuersas ut multum lumen fiat. Accendamus igitur eius ignem, faciamus eos qui ut tenebris sedent erui ab errore, et ne michi dicas, quoniam uxorem et filios habeo, et domus sum gubernator, et non possum haec dirigere. Etsi enim nichil horum habueris, deses autem fueris, omnia perdidisti, etsi his omnibus fueris circumdatus, studiosus autem fueris superabis uirtute. Vnum enim est, quod queritur consilii fortis preparatio. Et neque aetas, neque inopia, non diuitiae, non negotiorum circumstantia, non aliud aliquid impedire poterit. Etenim et senes et iuuenes et uxores habentes, et filios nutrientes et artes tractantes direxerunt uniuersa ea, quae iniuncta sunt. Etenim daniel iuuenis erat, et ioseph seruus, et aquilas artem tractabat, et purpurae uenditrix ergasterio presistebat, et alius carceris custos erat, et alius centurio ut cornelius, et alius imbecillis ut timotheus, et alius fugax ut onesinius, sed nulla alicui horum facta est prohibitio, sed omnes approbati sunt, et uiri et mulieres et iuuenes et senes et serui et liberi et milites et priuati. Ne igitur superflua inuestigemus, sed consilium optimum preparemus, etsi quodcumque fuerimus, omnino assumemus uirtutem, et futuris potiemur bonis, gratia et filanthropia id est amore hominum, domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium in secula seculorum amen.

Commented [ND43]: [fol.148rb]

Commented [ND44]: uel necessitas add. super lin.